



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinae, Sacr. Theologiae, Ac I. V. D. Vticensis  
Episcopi, Tractatus De Legitima Svmmi Pontificis  
electione, iuxta Summorum Pontificum, praesertim  
Gregorij XV. & Sanctiss. D. N. Urbani ...**

**Bonacina, Martino**

**Lvgdvni, 1637**

§. 1. Quinam Cardinalium nomine veniant, & cur Cardinales hoc nomine  
vocentur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10669**

His præmissis nonnullæ adhuc difficultates emergunt, quarum solutio non leuiter conducit ad cognoscendam Cardinalium facultatem circa Romani Pontificis electionem, eas autem in quæsitis proximè sequentibus proponam, diluam, & dissoluam.

§. I.

Quinam Cardinalium nomine veniant,  
& cur Cardinales hoc nomine  
vocentur.

*S V M M A R I V M.*

- 1 *Cardinalium nomine quinam veniant.*
- 2 *Cardinales cur hoc nomine vocentur.*
- 3 *Cardinalatus non solum est nomen dignitatis  
verum etiam officij.*

PRIMA PROPOSITIO.

1 **N**omine Cardinalium, si loquamur  
iuxta communem loquendi for-  
mam hoc tempore vsu receptam, intelligo  
solum Præsules R. E. purpuratos, consiliis  
Summi Pontificis assistentes, & ad Papæ ele-

C 4 ctionem

etionem deputatos, ut omnes norunt, isti enim hoc tempore per antonomasiam Cardinales vocantur; aliàs verò etiam in iure Canonico Cardinales vocabantur, alij Clerici, qui suo Præsuli aderant, illúmque suo consilio iuuabant in administratione diœcesis, vel prouinciæ; ob id Canonici Ecclesiarum Cathedralium Mediolanen. Rauennaten. & nonnullarum aliarum, Cardinales vocabantur; & dum Iura Cardinalem Romanum singulariter nominant, semper addunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad distinctionem eorum, qui Cardinales aliàs nuncupabantur.

## SECUNDA PROPOSITIO.

2 **C**Ur hoc nomine Cardinales vocentur à Doctoribus, rationes assignantur; aliqui enim putant, Cardinales hoc nomine vocari, eo quòd Apostolicæ Sedi inseruiant, quæ est veluti cardo, & axis aliarum Ecclesiarum. Alij etymologiam sumunt à cardine, eo quòd super ipsos nitatur, & vertatur ostium, id est Papa; vel, ut alij volunt, à cardine, eo quòd ipsis summa rerum omnium grauiorum totius prouinciæ, vel diœcesis incumbat; ad hoc enim ab initio institutos fuisse putant Cardinales. Alij denique arbitrantur dici à cardine,

ne, eo quòd vtrumque cardinem, vitæ scilicet, & interitus custodirent, & quasi ad ostium adstarent, dum homines ad vitam ingrederentur, vel ex hac vita egrederentur: Cardinales enim ex prima sui origine instituti fuerunt ad baptizandos infantes, qui in hanc lucem educuntur, & ad sacramenta iis administranda, qui ex hac vita migrant, teste Archidiacono *in cap. ubi periculum, de elect. in 6.* & aliis apud Barbatiam *de præstant. Card. quest. 1.* Albanum *de Card. quest. 3.* & apud Sopranum *de elect. lib. 1. cap. 10.* præcipuum enim in Ecclesia munus fuit Baptismi Sacramentum conferre, quod est ostium Sacramentorum; Christus enim Apostolis dixit, *Euntes docete omnes gentes baptizantes, &c.* & hoc munus tantifibat, quanti est vitam bene instituere, illamque sancto fine claudere.

Hinc ortæ sunt dissensiones, & hæreses in Ecclesia, dum vnus potius ab vno quàm ab alio sibi Baptismum conferri curaret, ac si non idem effectus ab omnibus conferretur. Hinc etiam censeo varios Cardinalium titulos institutos, vt vnus Cardinalis in vna vrbe regione, alius in alia adesset, ad sacra ministranda, & ad pandendum ostium, qui Christus est, in Ecclesiam militantem, & triumphantem; quamuis postea Cardinalium onera,